



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli  
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola IV. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

140 S. FRANCISCI XAVERII  
cumeos ultimum vidi. Vale. Nonis Septem-  
bris An. CXCVI.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

E P I S T O L A I V.

E I D E M .

C Arissime in Christo Frater. Tristissimum  
accipio nuntium de Præfecto; exustam  
ipsi navem, quidquid ædium in solo habuit  
pariter incendio deletum, ipsum spoliatum  
& inopem recessisse in Insulas, & gréque  
illic in extremis angustijs spiritum trahere.  
Accurre illi supprias, obsecro per carita-  
tem Dei, & raptim coacto quam maximo  
numero Punicalensium tuorum, quantum  
isthic navicularum est, annonâ cunctis, aquæ  
præfertim, impositâ, tecum isthuc trahe.  
Sed velocitate summâ. nam moras ultima  
viri necessitas non patitur. Scribo Patanga-  
tinis quam efficacissime, ut tibi omni ope  
præstò sint tam necessario erga Præfectum  
officio fungenti. congerant in Tonas quam  
expe-



expedire plurimas poterunt, copias ad tales usum idoneas, aquæ maximè potabilis, cuius illuc quanta sit penuria notum est. multas mitti naviculas ideo volo, ut sufficient exportandæ in Continentem numerosissimæ omnis ætatis turbæ, quas idem qui Præfectum perculit turbo in illa inhospita saxa compulit. Irem ego ipse, Te Punicale relicto, si gratum fore meum illuc adventum Præfecto crederem nuper ille mihi renunciavit amicitiam, scriptis literis plenis atrocium querelarum. ubi legebatur inter alia: non posse illum sine ingenti scandalo memorare quæ à me ipsi, scilicet, illata sentiret mala. Deus & homines sciunt an ego illi malum ullum intulerim, præsertim tale quod commemorari sine scandalo nequeat. Sed mei purgandi, aut quiritandi tempus hoc non est. quod nunc urget; sufficit intelligere, sic eum in me affectum, ut vitare congressum ejus causâ ipsius debeam, ne oggerendo tali articulo rerum homini misero, conspectu capit is invisi, abundè magnas infelicis calamitates novâ molestiâ cumulem. Hic me præcipue metus prohibet ab eo adeundo: quamquam nec alia quæ iter istud dissuadebant, defint. Tu, per Deum partes meas exple stre-  
nui-

## 142 S.FRANCISCI XAVERII

nuitate solicitissimâ. Patangatinis Combutoris & Bembaris mando, ut cum omnibus statim quas utrobique repererint naviculis, aquâ & cibarijs onustis, illuc ubi est Præfectus ad volunt. Tu, pro eo quantum gratificari Deo studes, omni conatu in rem incumbe. nec committas, ut aliquid tibi reliqui fecisse videaris ad extrémam contentionem subveniendi in tempore Præfecto ijs cladibus oppresso, quæ nostrarum Misericordiæ & Caritatis officia efflagitent diligentissimâ. veniunt in ejusdem curæ partem eâdem cum illo conflictati fortunâ Christiani plurimi, quorum præterea me respectus cogit hîc te denuò etiam atque etiam orare ne quidpiam prætermittas quo promptum & efficax urgentibus tot ærumnosorum malis accelerari remedium queat. Dominus Noster sit semper vobiscum. Amen. Alendale Nonis Septembris An. C. M. C. L. I. V.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

EPI-

